1530.

Petrus Tomicki Episcopus Cracoviensis Vicecancellarius.

Venerabilis etc.

Misimus ad Dominum Chojenski Archidiaconum Ecclesiae nostrae Cracoviensis literas scriptas nomine regio ad Sanctissimum Dominum nostrum, et ad Reverendissimum Dominum Cardinalem Sanctorum quatuor, et dominum Ducem Urbini in negotijs Reverendi domini Episcopi Kijoviensis et electi medniceus, postulamusque ab illo, ut eas manu regia subscribi et obsignari faciat, vobisque tradat, quos vos servitori Domini Kijoviensis Paulo Dolechicki, qui iam isthic est, consignetis, una cum nostris literis, quas praesentibus annexas ad vos mittimus.

Commendavimus autem eundem Paulum et negotia per eum curanda apud Sedem apostolicam et regijs et nostris literis, literasque passus, illi etiam scribi mandavimus, et ad Dominum Chojenski subscribendas et obsignandas cum alijs misimus. Nos ista hebdomada in Borzecim discedemus, si mitior aura aspiraverit, optamus autem vos bene ac feliciter valere et ut cum Domino Scholastico, et alijs amicis laete et feliciter vivatis, ex animo cupimus Etc.